

ret, adeoque hostes animarum nostrarum usque ad internectionem deleret.

IV. Sitim animarum, propter quas sibi unidas adeoque veluti bibendas de cœlo in terram descendit, sicut cervus desiderans et currans ad fontes aquarum. Qua de re B. Laurentius Justinianus, t. de agone Christi, c. XIX. ait: « Sitiebat plane angelorum redintegrationem : sitiebat etiam corporis ac membrorum unitatem. » Et mox : « Quoad enim mulieri uni Samaritanæ dixerat : Da mihi bibere; hoc in cruce nunc fixus omnibus ait : Sitio. Vos, inquit, volo, vos cupio, vos corpori meo unire, vos mihi associare sitio. Hanc vocem in spiritu propheta audisse testatus est, inquiens : Pretium meum cogitaverunt repellere. Cucurri in siti. »

#### § VI. ARITHMETICA.

I. Consummatum pretium pro culpa Adami solvendum. — II. Consummatum vetus testamentum. — III. Consummatum sacrificium. — IV. Consummatum lytrum redemptionis.

#### THEMA.

*Consummatum est. Joan. X.*

Quando princeps aliquis suo prefecto commisit præfecturam, ad ultimum prefectus rationes suas facere et principi reddere debet, quomodo commissam sibi præfecturam administrabit. Ibi calculi subducuntur, et usque ad obolum omnia computantur. Hoc in isto verbo præstat Christus Patri suo aliisque quibus debebat : unde docet nos arithmeticam.

I. Consummatum est pretium pro debito et Adami persolvendum. Statutum est, Deut. XXV. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus.* Debuit autem Christus ex inito pacto, Adami peccata luere. Jam Adam peccavit superbia, cupiens fieri Deo similis : Christus se humiliavit usque ad crucem, factus similis latroni. Adam peccavit gula : Christus satisfecit felle et acetō. Adam peccavit amore placendi uxori suæ : Christus satisfecit repudiatu s synagogæ sua. Adam peccavit inobedientia : Christus satisfecit obediendo usque ad mortem. Adam peccavit excusando male peccatum suum : Christus satisfecit non excusando, sed conticendo, cum falso accusaretur. Rursum Adam in horto paradisi perditionem nostram cœpit : Christus in horto Oliveti redimationem nostram. Adam vocatus in horto se abscondit et fugit : Christus autem prodit ultra. Adam in horto manum extendit ad arbo-

rem vetitam : Christus ad captivitatem. Adam in horto escam vetitam comedit : Christus per sanguinis sudorem iterum ejecit. Adam in horto se erexit ad carpendum fructum : Christus se depressit, procidens in faciem. Adam omnes homines perdidit : Christus ab omnibus passus est, a viris, mulieribus, senibus, juvenibus, principibus, privatis, sacerdotibus, laicis, liberis, servis, Judæis, pagani, amicis, inimicis. Denique clamaverunt omnes : *Crucifigatur.*

Rursum sicut Adam peccavit in paradi so, sic Christus fuit in monte Calvariae foetido et infami. Adam peccavit in ligno, Christus luit in cruce. Adam extendit manus ad arborem vetitam, Christus ad crucem. Adam gustavit fructum suavem, Christus fel et acetum. Adam abscondit se ob nuditatem, Christus nudus exaltatus omnibus se ostendit. Adam uxoris blandam vocem auditiv et suavem, Christus probra et contumelias. Rursum Adam peccavit in quinque sensibus ; atque imprimis aspiciendo lignum, quod esset pulchrum, Christo velati oculi. Adam audivit vocem mulieris, Christus blasphemias. Adam olfactu pomi delectatus, Christus foetorem Calvariae et sputorum sensit. Adam gustavit pomum suave, Christus fel et acetum. Adam tetigit pomum decerpendo, Christus in cruce manibus transfixus est.

II. Consummatum est vetus testamentum variis personis, actis, signis, sacrificiis, Christi passionem præfigurans. Abel innocentissimus a nocentissimo fratre, Christus a Judæis fratribus suis occisus est. Arcus Dei Patris celestis positus est in nubibus, Christus cruci affixus in sublimem etiam aerem exaltatus. Isaac a patre suo ad sacrificandum ductus, et pro eo aries cæsus, Dei Filius ad montem Calvariae immolandus eductus, cæsaque humana ejus natura. Joseph a fratribus venditus, Christus a Judæis venditus, deinde a Judæis traditus gentilibus. Agnus denique paschalis occisus, ingluviem et invidiam Judeorum saturavit, vacca rufa (corpus Domini et terra rubra formatum) cremata est igne amoris extra castra. Serpens veneno carens in ligno suspensus, Samson moriens columnas complexus.

III. Consummatum est sacrificium Deo Patri pro nobis oblatum per summum sacerdotem Christum. Hic egressus est ad sacrificandum e sacrario Spiritus sancti, atero Mariae virginis. *Introitum* suum peregit in nativitate, ibi *Kyrie eleison* cantarant innocentes ; *gloria in excelsis* angeli ; *epistola* Joannes Baptista ; *evangelium* Christus ; *Credo* fidelium populus ; *sanctus et benedictus* oueri in templo Christo acclamantes ;

#### IN DIE PARASCEVES.

#### § VII. MUSICA.

I. Vox hujus musicæ est clamor validus. — II. Textus est. — III. Mensura est capitis inclinatio.

#### THEMA.

*Pater in manus tuas commendō spiritum meum.*

Luc. XXIII.

Vidimus hactenus magistrum e cathedra crucis docentem sex liberales easque divinas artes, septima adhuc superest, musica. Est enim versus Psalmi XXX. adeoque canticum. Cum ergo in hoc ultimo verbo Dominus evolet a doloribus et Judeorum manibus in manus sui Patris, lætus canit velut avicula e laqueis liberata : *Pater in manus tuas*, etc. ad instar cyeni quoque, qui canit moriens. Carmen id in completorio canit Ecclesia quotidie.

Tria sunt in musica : vox seu cantus, textus et mensura.

I. Vox et cantus in hoc ultimo Christi verbo et clamor validus : *Clamans enim voce magna dixit* : *Pater, etc.* Clamor hic et vocis exaltatio partim lugubris, partim festiva et læta est. Lugubris primo, quia indicat dolorem ex mortis aculeo sibi inflatum, acerbissimum et vi allatum. Amantissimi semper sodales erant in Christo anima et corpus, nulla unquam in re sibi contrarii, qualis Jonathas et David sibi conglutinati ; qui proinde cum ab invicem separari deberent, se mutuo osculantes fleverunt pariter, I. Reg. XX. Secundo, quia indicat dolorem, quo enixus est instar puerperæ filios suos, ut eos celo pareret, quemadmodum Rachel dum pareret filium, doloribus afflita appellavit filium *Benoni*, i. e. *filius doloris mei* : Jacob vero *Benjamin*, i. e. *filius dexteræ*. Humanitas Christi dum clamat, testatur nobis partus sui dolores, et *Benoni* nos vocat : *divinitas Benjamin*. Demonstrat ergo nobis filii suis, quanto ipsi constiterit nativitas nostra, que ei fam dolorosa fuit, ut animam expulerit : adeoque nos debuisse ipsi prius esse *Benoni*, quam essemus *Benjamini*. Tertio, quia hoc clamore extremo excitare vult surdastros, ut gallina voce rauca monet suos pullos, quo fugiant accipitrem, q. d. quoties congregare vos sub alas meas volui ! Et ecce jam ultimum expando alas meas super vos. Video imminentem vobis accipitrem : qui ergo toties clamavi et rogavi vos, nunc iterum et ultimum clamans rogo, ut ad me confugiatis. Timuit enim illis ab ira Dei desuper, unde expandit super eos alas. Et ecce mox accurrit centurio cum cohorte. Gentiles ad eum veniunt, Judæi recedunt.

*hosanna filio David.* Consecratio facta est in cena, elevatio in crucifixione; memento, pronuntiavit latro ; *Pater noster* Joseph ab Arimatæa audacter petens corpus Christi ; *Agnus Dei* centurio cum cohorte ; *sumptio* in sepultura facta est.

IV. Consummatum est lytrum redemptionis nostræ a Christo persolutum. Offenderamus Deum omnibus nostris membris, sensibus, bonis, juxta Isa. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, passus ergo Christus est in omnibus sensibus. « Nulla profecto corporis pars seu sensuum, seu membrorum a cruciatus erat illæsa. Insonabant ubique in ejus auribus blasphemiae, divini contemptus sermones : irridentium, plangentium, vociferantium, maledicentiumque tumultus. Oculis intuebatur cum illusione capita agitantes : atque Yah qui destruis templum Dei? dicentes : matrem cernebant mærore sauciam et uberrime lacrymantem, amicorum et affinium sustentari manibus, foveri blanditiis, exhortationibus consolari. Fœtore cadaverum occisorum et sanguinis putrescentis ejus complebatur olfactus. Myrrhati quoque vini potus mellifluum illius os amarissimum fecerat. Postremo in stipite positus infixos clavos gestabat in manibus. A planta igitur pedis usque ad verticem capitilis nil a tormentis remanserat liberum. » Ita B. Laurentius Justinianus, I. de agone Christi, c. XIX. Ad hæc passus est in omnibus membris, a planta pedis (quam bajulans sibi crucem, hue illue a tortoribus distractus et impulsus heu quoties offendit ! Quo lapidum vel etiam spinarum offendiculo eruentavit !) usque ad verticem capitilis, spinarum aculeis undique confixum : in oculis aspectu circumstantium, partim invidorum ipsi insulantium, partim charorum commiserant vesuum quoque suarum aleæ expositarum : in auribus percipiendo tot probra et irrisiones, in capillis tractiones et evulsiones, in genis alapas et colaphos, in naribus sputa, in ore fel et acetum, in collo catenas, in brachii funes, in humeris crucis onus, in manibus et pedibus clavos, in reliquo omni corpore flagella et dilacerationes. Passus denique in omnibus bonis, anima, corpore, fama.

Discimus hinc distractas Deo rationes esse reddendas de omnibus et singulis factis, dictis et cogitationis nostris, quando Deus a filio suo tam severas exigit, ut ne unum obolum, ne unum quidem ictum remitteret. Si enim rex a filio suo tributum requirit, nihil ei remittens, quid remittet subditis suis.

Festiva et lœta, primo, quia indicat, se velut Deum, potestatem habere ponendi vitam cum vult, et resurrendi eum vult, et nunc sponte eam ponere; siquidem clamans exspirat, miraculose utique ex divinis suis viribus: quia si purus homo esset, sic exhaustus viribus in morte clamare non posset. Hinc enim centurio videns quod sic clamans exspirasset, agnoverit ipsum esse Deum. Monstrat ergo se hic Samsonem, qui columnas crucis amplectens vires adhuc habeat ad perdendos Judæos, si vellet; deinde ad movendum actu cœlum et terram. Secundo, quia ostendit se victorem et triumphatorem mortis et dolorum omnium superatorem; quo modo, Ps. XXIX. canit per prophetam: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lœtitia, ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Jam non poterant ipsi amplius nocere Judæi, nec mors eum configere: sed contra ipse Judæos sibi veluti judici subjicit, et morti insultat: *Ero mors tua, o mors, etc.* Tertio, quia vult terræ dæmones, jam a se devictos, sicut leo suo rugitu bestias. Sic Josue tubarum strepitu et lagena confractione fugavit Madianitas, Jos. VII. Clamor Christi quasi tuba fuit: caro ejus emoriens lagena confracta. Sunt certe, qui putent dæmones magno numero adfuisse crucifixo, ut eum vel observarent, vel tentarent, uti Eusebius, I. X. demonstrat. c. ult. Cætera animalia pleraque musica delectantur, tigris sola ad tympanorum pulsum in rabiem acceditur, et seipsum dilacerare conatur, teste Plut. in conjugalibus præceptis. Hoc verbo Christi, passioni sue finem imponentis, recreati sunt in celo angeli, et in terra homines ab eo jam redempti: soli dæmones sunt perterriti et in rabiem acti, seipsis quodammodo lanantes, quod suo molmine Christum cernerent victorem, se vero devictos et præda sua spoliatos.

II. Textus est: *Pater in manus tuas commendō spiritum meum.* Mirum est hæc oratio, quia cum prius aliis providisset inimicis veniam, latroni paradisum, matri filium, Joanni matrem dedisset; sibi omnium postremo providet, et animam Patri commendat; quia nimurum venerat vitam suam pro nobis positurus: quasi animas nostras pluris æstimans, quam propriam. Quod enim pecunia mea amo, magis amo, quam pecuniam meam.

Commendat autem Patri spiritum suum, primo, propter ipsum Patrem, ac primo, ut offerat ei spiritum seu vitam suam tamquam pretium redemptoris nostræ, vitam pro nobis ponens. Unde Græc. habetur verbum *depono*, Arabicæ *pono animam meam.* Alludit ergo ad id, Isa. LIII.

*Si posuerit pro peccato, (Hebr. si posuerit peccatum, i. e. hostiam pro peccato) animam suam, videbit semen longævum.* Hic ergo ponit se velut hostiam jam mactatam in manus Patris, quasi in altare, pro peccatoribus. Quale pretium auditores nonne majus multo quam res empta? Secundo, ut hoc ipsum opus redemptoris nostra a se patratum Patri acceptum ferat tamquam primo principio et fonti bonorum omnium æque ac fini, quemadmodum et in aliis suis operibus gloriam omnem ad Patrem retulit, omniaque sua illi adscripsit, ut faciunt bene morati filii. Apud Romanos strenui victores, qui triumphali pompa urbem ingrediebantur, recta ad Capitolum pergebant, ibique a curru triumphali Jovi gratias agebant, quod per eorum manus rem Romanam bene gessisset, eamque ut servaret et protegeret, rogabant, hostias quoque ipsi immolabant, lib. X. antiq. Rom. c. XXIX. Christus nunc curru crucis idem Patri suo facit, seipsum immolans hostiam.

Secundo, propter se primo, ut demonstret Judæis, sibi spiritum e corpore expulsum nequam interire, sed ad tempus tantum breve deponi in securissimo loco, in manibus scilicet Patris sui, a quo mox eum majori gloria recepturus esset juxta prophetam, Ps. XXIX. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec detectasti inimicos meos super me: Domine, Deus meus clamavi ad te, et sanasti me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendenteribus in lacum.* Et infra: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lœtitia,* quasi dicat, sicut sartor seidisti quidem velut pannum pretiosum corpus meum, sed eum accepisti in manus tuas, et confecisti mihi inde pretiosorem vestem ac pulchriorem. Secundo, ut spiritum suum in condigno et debito loco deponeret, siquidem thesauri (II. Macch. III.) et vasa sacra in templis asservantur. Si enim corpus ejus immaculatum nova sindone involvendum, novo in sepulcro ponendum erat, spiritus ejus purissimus etiam in manibus deponendus erat: unde eum accepit.

Tertio, propter nos primo, ut cum spiritu suo una etiam nos, quod ad tempus desereret, Patri commendaret, ut S. Athanasius et alii, qui enim adhæret Deo, unus spiritus est, I. Tim. VI. quasi caput loquatur p<sup>r</sup> membris. Sic oravit, Joan. XVII. discedens e cœnaculo ad passionem in montem Oliveti: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Bonus nimurum pastor, coactus discedere paululum ab ovibus suis, commendat eos summo pastori, Patri suo: sicut et pater peregre proficisciens commendat amico

filios suos. Secundo, ne quis etiam justus et sanctus putet se securum in articulo mortis, ubi dæmon homini maxime insidiatur, quemadmodum volunt aliqui eum morienti Christo adfuisse super brachio crucis sinistro, observantem eum, uti ven. Beda seribit. Quare unusquisque videat, cui tune spiritum commendet. Similiter cum imus cubitum; quia ibi periculum corporis et animæ, ab insidiis diaboli. Unde multi sancti eo versiculo in extremo spiritu usi, uti Sanctus Nicolaus, Sanctus Basilus, Sanctus Ludovicus rex et imprimis Sanctus Stephanus: *Domine, susceipe spiritum meum.* Testamur enim animam nostram a Deo acceptam immortalem, eidem consignandam usque ad resurrectionem, ejus protectioni commendandam. Unde Ecclesia quotidie ad finem completorii hoc versiculo componit quasi ad lectum filios suos; quem et innocentes pueri canunt, ut similes ei simus.

III. Mensura hujus cantus appellari potest capituli inclinatio, cum qua immediate post dicta verba tradidit spiritum. Per hanc vero innuit creaturis primo, ut ejus divinitatem testentur variis prodigiis, et ignominiam crucis gloria miraculorum compenset. Secundo, ut totam mundi machina sua creatori condoleat. Tertio, ut Judæorum scelus coarguat, quasi ipsi jam indigni sunt creaturarum ministerio.

Vidimus magistrum nostrum e crucis cathedra docentem, non, quas docent artium magistri, humanas, sed doctrinas plane divinas. Superest nunc, ut nos velut gnavi discipuli traditas nobis lectiones alto pectori inserbamus, ipsi quoque doctori nostro non modo gratias dignas agamus, sed et mercedem persolvamus, quam petit per sapientem, Prov. XXIII. *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.*

## CONCIO III.

## CHRISTUS SPINIS CORONATUS.

## § I. VELUT SPONSUS.

I. Sponsus splendide vestitur. — II. Sponsus corona adornatur. — III. Sponsus honoratur aureo annulo, et munieribus. — IV. Congratulatione amicorum decoratur sponsus. — V. Sponso datur convivium magnificum. — VI. Musica adhibetur sponsi convicio. — VII. Sponso adjungitur sponsa.

## THEMA.

*Egredimini filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis suæ.* Cant. III.

Quando sponsus aliquis nobilis cum nuptiali

## II. PARS HIEMALIS.

pompa prodit in publicum, solent passim e domibus confluere turbæ ad spectaculum id videntum. Sponsum Ecclesiæ esse Christum Dominum, testatur imprimis Joann. Bapt. loquens de Christo, Jo. III. *Qui habet sponsam, sponsus est, Christus scilicet ejus se amicum vocat.* Deinde S. Paulus, II. Cor. XI. *Despondi vos univiro, virginem castum exhibere Christo.* Cum enim Dei Filius in miserum genus humanum conceperet oculos, considerans non quale id jam esset, sed quale effici posset, id amare cœpit, et ut ibi desponsaret, regnique sui consortem facaret, de cœlo descendit, quo amorem ejus sibi conciliaret. Verum a sponsa sua synagoga Judaica male sane acceptus et foede coronatus est, ut videbimus.

I. Solet sponsus in die desponsationis suæ abjectis obsoletis vestibus, novis ac festiis indui quam splendidissime a parentibus. At videte sponsum Christum, quomodo vestiatur a novverca sua. Exiit ueste sua dilecta, utpote a matre (ut sentiunt multi) sibi facta: miraculosa, quia eum ipso crevit: sanctissima, quia per ejus tactum miracula facta: et induitur coccinea, vili et ludrica; (quia purpuram referebat fictam) accepta sorte a gregario milite, sordida proinde et fœtente; et hoc in atrio præsidis. En tibi Joseph innocentissimum, expoliatum ueste sua polymita. Ille deprecatur fratres suos cum lacrimis utique, ne spoliarent eum ueste sua, tam dilecta, Gen. XLII. Et quis dolor, putatis, fuit Christo, spoliari ueste sua materna? Qui omnes homines et viventia cuncta vestit, ipse jam nudatur. Sed magis doluit Christus uestiri, et cingi se coccino, id est, hypocritis, qui purpura esse volunt, et coccinum sunt.

II. Corona de floribus et rosis, vel auro et gemmis facta adornatur sponsus, tamquam rex familiæ et triumphator libidinis, a qua servarit sese. At Christus, qui Rex regum est et se per omnia immaculatum semper servavit sponsæ, suæ, licet meretriculæ, coronatur a novverca sua spinis acutissimis. Quis unquam vidit vel audivit quempiam coronari spinis? Olim quidem corona de frondibus, tamquam ridicularium donum, utpote sterile quibusdam dari solita, teste Basilio Seleuc. orat. XVII. At non de spinis. Quid hac non solum sterilius, sed etiam magis ridiculum ignominiosum, horridum, dolorosum? Quis nescit quantum vel una cruciet spina, etiam extracta? Hinc David remorsum conscientiae suæ comparans spinæ, Ps. XXXIV. ait: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina, seu ut Hieronymus legit, dum inficitur mihi spina.* Quid facient tot spinae, tam acutæ et